



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De refugio ad Deum semper habendo. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

libenter in corde lege, & aliquid inde extrahe. Discite deuotè meditari, cum gemitu cordis orare, & mentem ad Deum eleuare.

CAPVT XI.

Ad quid omnia exercitia sint dirigenda.

1. **O**Mnia exercitia ad hoc dirigenda sunt, vt passiones vincantur, vt propria voluntas mortificetur, vt mundus contemnatur, & Deus diligatur: vt caro refrenetur, & spiritus ad cælestia eleuetur: vt omnibus affectionibus mitigatis, puritas cordis & tranquilla mens possideatur. Modicum laborabis, & magnam requiem inuenies. Breue est tempus peregrinationis nostræ, sed præmium nostrum erit gaudium sine fine. Multi maiora tolerant pro mundo, quàm nos pro Deo. Multi duriora patiuntur, & virilius agunt pro inferno, quàm nos pro cælesti regno.

CAPVT XII.

De refugio ad Deum semper habendo.

*Psal. 26.
Abacuc 2.*

1. **V**iriliter age, & confortetur cor tuum. Dominus erit tecum, in omni tempore & loco. Quære illum, & inuenies; clama, ne cesses: si moram fecerit, expecta eum, & non morabitur. Dic ad eum, Veni Domine, & noli tardare; Domine ad adiuuandū me festina. Adiuua me Iesu bone, & salua erit anima mea. Seruus tuus sum ego, da mihi auxilium gratiæ tuæ, & bene mihi citò erit.

2. Domine dignare esse mecum, & ego libenter volo esse tecum. Domine propter te incepti, propter te mundū reliqui, propter te patior tentationes istas. Propter te suscepi labores istos, propter te morior tota die. Propter te æstimatus sum sicut stultus & inutilis homo. Propter te arguor & corripior; propter te surgo & canto; propter te ieiuno & vigilo; propter te laboro & scribo; propter te cellam custodio & taceo. Propter te omnia ago & sustineo: quia tu bene dignus es, & largus ad retribuendum mihi, in tempore tibi beneplacito. Domine suscipe seruum tuum in bonum, & non timebo, quid faciat mihi caro vel homo.

3. Domine Iesu, esto tu refugium meum, & vnicum solatium meum. Esto tu specialis amicus meus, quia omnes amici mei me reliquerunt. Esto tu spes mea, quia vana spes in hominibus. Esto tu gaudium meum & lætitiæ cordis mei, quia omne gaudium mundi rotum inane. Esto tu dux meus, & notus meus, & socius meus in via hac, qua ambulo; quia homines citò deficient, & auferentur à me. In te cantatio mea, in te consolatio mea, in te tota fiducia mea. Sis tu salus mea & honor meus, amor meus & dulcedo mea. Da mihi amare crucem tuam, & imitari vestigia passionis

tionis tuæ. Scribe vulnera tua in corde meo; & da mihi ex desiderio sustinere impropria & iniurias. vñdecumque illatas, & tibi configurari in vita & in morte. Tu mihi viuere sis, & mori pro te magnum lucrum videatur.

CAPVT XIII.

De meditatione passionis Christi.

1. **M**ulta bona confert passio Christi frequenter cogitata. Et quodcumque aliquid aduersitatis vel grauitatis extra vel intra occurrerit, tunc specialiter est recurrendum ad passionem Christi, & pensandum quanta Dominus sustinuit pro nobis indignis. Et in hoc debemus consolari, quia dat nobis de calice suo bibere; & vult, quòd discamus, in nobis suam passionem perfectè sentire. Modicum confert, poenas Christi cogitare; nisi homo velit, similia libenter tolerare. Debemus etiam pensare, quanta passi sunt Sancti tormenta pro nomine Christi.

CAPVT XIV.

De virili confidentia in Christo.

1. **I**gitur abiecto timore seruili, induere spiritum feruoris & dilectionis. Accipe fortitudinē, & induere armaturam Dei, vt possis resistere in die malo. Confide fili, & noli timere; quia *tecum sum* dicit Dominus, *vt eruam te*. Confortare & esto robustus, quia plures nobiscum sunt quàm contra nos. *Ego* (inquit Dominus) *ante te ibo & pugnabo pro te; eroque tecum, ad quemcumque perrexeris*. Pone ergo totam spem tuam in Domino, & noli esse pusillanimis corde, sed constans & virilis ad omnia. *Deut. 31.*
Iosue 1.

CAPVT XV.

De bono cella.

1. **S**it tibi cella paradifus, chorus cælum, lectio sacra cibus. Sit tibi silentiū amicus, labor socius, oratio auxiliarius. In choro sis stabilis & quietus, tibi & Deo maximè intentus. In cella aut legens, aut orans, aut operans inueniaris. Ad loca, vbi multi conueniunt & loquuntur, non transeas. Tene te solitarium, & senties bonum. In labore & communi societate, rarò aut parum loquaris. Rarò egredere foras, & si euocatus fueris, citò reuertaris. Vbicumque esse debes, sine mora venias.

2. Humiles & compositos mores habeas, & omnes sensus tuos sub disciplina custodias. Disce pro Deo pati, in omni necessitate & grauitate. Non sis importunus, sed omnia fac cum tranquillitate. Cum patientia & humilitate, oranes vinces aduersitates. Viriliter age, & confortetur cor tuum, & fugiet inimicus.

CAPVT